

vt rem sibi habeat <sup>a)</sup>, vt hac quaestione de eo agatur, an is, qui possedit rem, antequam sequestraretur, iam desinat possidere, et vtrum is, qui rem sequestrari efficit, iam inde a sequestratione facta incipiat, ciuilitate eam possidere? Cui quaestioni occasionem dederunt fragmenta, quae ex FLORENTINI <sup>b)</sup> et IULIANI <sup>c)</sup> libris nobis seruaui TRIBONIANVS. Quae quidem iuris nostri loca multum negotii dederunt interpretibus, ita, vt MARQVARDVS FREHERVS <sup>d)</sup> de emendando loco FLORENTINI cogitauerit. Alii ita, olim inprimis, conciliare ea studuerunt, vt in sequestratione necessaria custodia tantum transferatur, in voluntaria vero et possessio ciuilitate desinat <sup>e)</sup>. Sed postquam haec distinctio ab omnibus fere, et recte, reiecta est, in eo conueniunt fere omnes doctores, vt dicant, esse hanc facti quaestione, et inspiciendum esse id, quod actum est inter partes. Sed de eo superest contentio, quid, si non satis de partium mente consuet, in dubia re sit pro vero habendum? Et pu-

tat

a) Vid. c. in hac actione 3. §. ult. et c. tigni adpellatione 7. §. sed, si rotam 1. D. ad exhibendum.

b) c. licet deponere 17. §. rei depositae 1. D. Depositi.

c) c. interesse puto 39. D. de acquir. vel amitt. poss.

d) παραγγων seu Verisimilium Lib. 1. c. 7. in Thes. EV. OTTON. Tom. 1. p. 870. alius cuiusdam, vt et huius correctionis mentionem fecit ANT.

SCHVLTING in thes. controu. Dec. 58. th. 10. Quae de Haloandrina lectione, et interposita particula interim dicit GRANGIANVS loco mox nominando, ea non satis intelligo.

e) Vid. FREHER. l. c. et PETRI GRANGIANI Paradoxa Iuris ciu. c. 41. apud EV. OTTON. Tom. 5. p. 634. qui tamen vterque eam interpretationem reiicit, quod idem fecit CORAS. Miscell. Iur. ciu. Lib. 3. c. 2. n. 12. sqq.